

05

A

729





15  
Ὁ καλῶς ἔσω!

ÆTIOLOGIAS  
METAPHYSICÆ

DISPUTATIO II.

Exhibens Sectionem II, ΚΑΝΟΝΙΚΗΝ

De

C A U S I S

IN GENERE,

Quam

CAUSA SINE CAUSA DEO

Opt. Max. annuente

IN FLORENTISSIMA LEUCOREA

SUB PRÆSIDIO

M. CHRISTOPHORI LATZKII,

Brandenburgō Marchici,

*Publicæ Philosophantium limæ submittit*

ANDREAS LENTZ,

Ezinō Brandenburg. Marchicus.

Ad diem 20. Februarij ANNI MDCLXI.

Horis matutinis, Loco solito.

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI.

14.





# CAUSARUM CAUSA

NOS ADJUVET!

## SECTIO II. KANONIKH.

### CANON. I.

*Nihil est causa sui ipsius.*

**C**ONFIRMATIO. Veritas regulæ fundata est I *Infirmissimo illo & omni exceptione majori principio: Τὸ αὐτὸ ἀμα ὑπάρχειν καὶ μὴ ὑπάρχειν.* Impossibile est idem simul esse & non esse. Si enim aliquid sui ipsius causa esset, simul esset & non esset. Esset, quia haberet realem operationem, quâ influeret ad esse alterius; non esset, quia adhuc lateret in causis, & esset demum producendum. Esset præterea dependens & independens, atque se ipso prius & posterius. Prius & independens tanquam causa; posterius vero ac dependens tanquam causatum. Quæ omnia cum citato principio pugnant, quod tamen est ἀπασῶν βεβαιότατη καὶ γνωριμωτάτη τῶν ἀρχῶν certissimum & notissimum omnium principium, itemque φύσει ἀρχὴ τῶν ἄλλων ἀξιωματῶν πάντων, naturâ principium omnium aliorum axiomaticum, ut docet Philosophus lib. 3. metaph. c. 3. & 4. II. *In quidditativo entis conceptu.* Ens quidditativè sive essentialiter consideratum, involvit solùm veram realem & positivam essentiam, influxum verò causalem penitus excludit. Quicquid autem essentialiter causalem influxum non importat, illud non est causa suæ essentiae vel sui ipsius. Nihil causalem influxum importat essentialiter. Ergo nihil est causa sui ipsius. Major probatur: quia influxus causalis causam inesse causæ constituit. Minor ex definitione Entis patet. III. *In communi attributorum entis requisito,* quod est ab ente formaliter esse distinctum. Arguemur: Quicquid à se ipso formaliter non est distinctum, id non est causa sui ipsius. Nihil à se ipso formaliter est distinctum. Ergo nihil est causa sui ipsius. Major per se claret, & ex definitione attributorum entis confirmari potest. Minor probatur

batur: quia alias essentia à seipsà diversa esset, quod uti falsum, ita sine insigni contradictione affirmari nequit.

EXPLICATIO. Cæterum observandum est quod non valeat I. *de nihil negativè sumpto*, quod idem est ac non ens, & enti contradictoriè opponitur; sed *distributivè* ut sensus sit: neque hoc, neque istud, neque aliud quoddam ens causam esse sui ipsius. (2) *de esse causali sui ipsius negativo*, quomodo Deum dicimus esse causam sui ipsius negativè, non quod se produxerit, sed quia non agnoscit causam per influxum & communicationem se producentem; sed *positivo*, ita ut indigetur: nihil positivè in seipsum influere & ita sibi ipsi positive essentiam largiri. (3) *de accidentibus*, quasi nihil esset causa accidentium in se. Potest enim homo se ipsum reddere virtuosum, doctum, pauperem; sed *de essentia* quam nullum ens sibi ipsi dare potest. (4) *de esse diverso; sed eodem*. Alias enim finis quæ est inesse intentionali, est sui ipsius causa, ut sit deinceps inesse reali, quia movet efficientem à quâ producitur effectus, qui antea erat finis. (5) *de eodem specie; sed numero*. Quando ergo ex mente Aristotelis dicitur ignem generare seipsum, sensus est: quod quoad speciem quidem, non vero numerum sibi similem progeneret.

APPLICATIO. Lucem adfert Canon quorundam Patrum locutionibus, quibus Deum sui esse vel substantiæ suæ aut sapientiæ causam esse, seriò affirmant. Hieronymus ad Eph. c. 3. ait: *Deus sui origo est suæq; causa substantiæ*. Aug. lib. 83. qq. quæst. 15. & 16. dicit: *Deum causam esse sapientiæ suæ & lib. 7. de Trinit. c. 1. ita loquitur de Patre. Ille est causa ut sit, est etiam causa ut sapiens sit*. Quæ ut & aliæ hujus generis locutiones, si ex Canonis præscripto negativè explicentur, simplicem Dei perfectionem satis commodè declarant, quod nempe ita existat, ut à nullo esse suum recipiat, quam perfectionem non habet illud ens, quod esse non habet, nisi illud ab alio accipiat. Idem Canon opinionem quoque Lactantij refellit, qui existimat Deum aliquo tempore se fecisse, & fundamento habet, fieri non posse ut id quod est aliquando non cœperit. Qui error cum hoc sensu Deo positivum tribuat

buat influxum, perquem originaliter & emanativè sibi essen-  
tiam dederit, ideoq; genuinam Regulæ nostræ expositionem non  
admittat, à Suarezio Disp. 28. metaph. Sect. 1. tit. 7. non imme-  
ritò adeò absurdus esse putatur ut impugnatione haud  
egeat.

*II. Causa est prior & hinc etiam notior suo causato.*

CONFIRMATIO. Rationes quæ pro adstruendo Re-  
gulæ hujus primò membro in lucem proferre possumus sunt.  
*I. Principij illatio.* Omnis causa est principium ut ex thes. 2.  
disp. I. constat. At omne principium ut principium & uno  
eodemque modo & respectu cum principiato sumptum, sem-  
per principiato prius est. Cum ergo causatum sit causæ prin-  
cipiatum, non potest non eâ ipsa posterius esse. *II. Causæ  
dignitas & multiplex appellatio.* Omnis causa est ens actu,  
quia agit, influit, generat, effectus autem virtualiter saltem  
in causis latet. Quod autem est actu, prius est eò, quod de-  
mum erit. Præterea omnis causa est antecedens, hoc autem  
suo consequente, quod h. l. est causatum, prius existit.  
Tandem omnis causa est mensura causati ut eam vocat Scalig.  
Exert. 352. sect 2. At mensura suo mensurato prior est. *III.  
Causati status & conditio.* Omne causatum à sua causa depen-  
det. At dependens eò à quo dependet posterius esse, nemo l.  
mediocriter doctus negabit. Alterum Regulæ membrum ex-  
dictis sponte fluit. Quod si enim causa prior est suo causa-  
to, ut jam demonstravimus; sequitur etiam quod eo ipso no-  
rior sit. Modus enim cognoscendi sequitur modum essen-  
di, uti habet commune Philosophorum Axioma.

EXPLICATIO. Cum vero termini Canonis diversi-  
mode accipi soleant, explicandum breviter etiam est, quomo-  
do hic sumendi. Quod ut fiat commodè, & in principio sta-  
tim objectionibus quibusdam rima obstruatur, notandum est  
quod loquamur *(1) de causa non quoad esse respectivum, sed quoad  
esse absolutum & realem existentiam considerata: & sic omnino  
causa prior est causato.* Ita Deus causa mundi est ab æterno,  
quamvis nulla creatura ab æterno fuerit. Eodem modo li-  
gnum diu ante est, quam lectus ex eo conficitur: quod in a-

lijs etiam materijs rerum arte factarum perspicitur. (2) *De*  
*prioritate, si non semper ratione temporis, tamen ordine naturæ.*  
 Tempore nonnunquam sunt simul, ut omnes illæ causæ à qui-  
 bus effecta sunt per emanationem, & à quibus ne momento  
 quidem temporis abesse possunt. Sic sol est luminis & forma  
 suarum actionum causa, licet neque sol lumine neque forma  
 actionibus prior sit. (3) *de existentia si non semper reali, tamen*  
*intentionali.* Ita finis suo effectu prior est prout est in inten-  
 tione, quia mediâ præcedit, eadem determinando & mensu-  
 rando. (4) *de cognitione non secundum nos, neq; de confusa, im-*  
*perfecta, sensuali & à posteriori; sed de notitia secundum naturam,*  
*distinctâ, perfectâ, intellectuali & à priori.* Alias enim motus se-  
 cundum nos & nostros sensus notior est sua causa, nempe na-  
 turâ, ut docet Arist. l. 3. Phys. c. 1. Similiter secundum nos &  
 à posteriori opera Dei prius, quam Deus, & operationes animæ  
 prius, quam anima ipsa cognoscuntur. Eodem modo rusticus  
 confusè, imperfectè & sensualiter Ecclipsin, causa prorsus igno-  
 ta, cognoscit.

APPLICATIO. Hujus Regulæ explicatione facile curari  
 potest *Φανομένη αντίφασις* quam committere videtur Aristot.  
 quando 2. Rhetor. c. 23. & 5. Metaph. c. 2. inquit: *ἀμα τὸ αἴτι-  
 ον καὶ ἡ ἀίτιον*, causa & effectus sunt simul. Suarez. alias tra-  
 ctat latè horum verborum expositionem. Disp. 26. c. 2. ut con-  
 ciliet ea cum præsentis Canone. Dicendum autem breviter  
 est: Aristotelem loqui de causa respectivè considerata. Et ita  
 omnis contradictio protinus exspirat. Solvi quoque hic po-  
 test sequens Bellarm. argumentum quò l. 1. de justif. c. 11. fidem  
 è numero causarum justificantium, annititur deturbare: Omnis  
 causa prior est suo causato. Fides non est prior justificatione. Er-  
 go fides non est causa justificationis. Limitamus enim Majorem  
 hoc modo. Omnis causa in esse absoluto est prior suo causato,  
 prioritate naturæ. Si jam subsumimus: fides non est prior justi-  
 ficatione in esse absoluto & prioritate naturæ, sic negatur  
 Minor. Etsi enim fides *χρόνω* non præcedat actum justifica-  
 tionis, nihilominus tamen *φύσει πρότερος* est. Quomodo  
 enim justificaretur homo si non crederet? ideoque necessum est,  
 ut fides



fides meritum Christi apprehendat & sic justificationem antecedenter ingrediatur. Similiter quamvis fides & justificatione, in ipso actu sint simul quoad esse respectivum; tamen fides considerata inesse absoluto ipsa justificatione prior est.

*III. Posita causa ponitur effectus & vice versa.*

CONFIRMATIO, Desumitur *I. à cause formali ratione* quæ in influxu consistit. Causa enim dum influit causat. At impossibile est aliquid causare ut non sit aliud quod influxum recipiat & hinc causetur: & vice versa aliquid causari ut non sit aliud quod influat & causet. Sic sole illuminante non potest non esse lumen, & quoties lumen conspicitur, necessario & ipse sol illuminans deprehenditur. *II. à mutuâ relatione.* Causa enim & causatum relativè considerata sunt simul tempore uti modo dictum. Non potest dari tempus quo causa causet, & tamen non sit quod à causa fiat. Quæ enim sunt simul, eorum uno posito ponitur & alterum. *III. Ab analogia & similitudine.* Quemadmodum fieri nequit ut aliquid videat, nec tamen sit quod videatur, ut aliquid calefaciat, nec sit quod calefiat & vice versa: ita impossibile est, ut posita causa non ponatur effectus; & posito effectum non ponatur causa.

EXPLICATIO. Exhibet limitationes penè multas, quibus indiget Regula, quæ tamen omnes in usum ejusdem non seorsim & divisim sed simul & conjunctim sumendæ sunt. Vera igitur est. *I. de causa in actu causandi posita non vero de causa potentia tali.* Non enim valet Deus fuit ab æterno ergo etiam mundus, sartor est ergo semper conficit vestem. *II. de causa sufficiente non insufficiente.* Sic Pater solus non potest gignere filium, nec unus equus trahere ingens plaustrum. *III. non impedita.* Sic sol illuminat terram, & in terra viventia, non autem cælum, quia in hoc actio ejus impeditur. Deus vult omnes homines salvos fieri, modo gratiam Dei non respiciant, & media ad salutem necessaria negligant. *IV. proxima non remota.* Sic sol & luna non generat murem immediatè quat. causæ remotæ sunt, sed mediante mure tanquam causa proxima. *V. Naturali non voluntaria.* Naturalem vocamus quæ  
solo

solo instinctu naturæ absque deliberatione agit. Voluntariam quæ liberè agit, & positis licet omnibus ad agendum requisitis, tamen pro lubitu agere & non agere potest. Ita ignisposito stramine & cæteris recensitis requisitis, non potest non urere. Contra Deus, homo & angeli liberè agunt. *VI. de effectu inesse effectus seu in fieri considerato.* Nam posita causa non statim ponitur effectus in esse absoluto, sed tum demum quando efficientis actio absoluta est. Valet autem Canon vice versa hoc sensu: Posito effectu necesse est causam esse l. fuisse. Recte argumentamur; Datur filius, ædificium, imago, ergo est l. fuit pater, architectus pictor, item datur nova obedientia in homine. Ergò etiam gratiosa Spir. S. per fidem inhabitatio, inter hanc enim & illam necessaria datur connexio.

APPICATIO ad otiosam nonnullorum disputationem commode institui potest, quando quærunt in Physicis: An anima sit à Patre an vero à matre. Ut enim ponatur anima requiritur causa sufficiens qualis solus pater & sola mater non sunt. Siquidem ab utroque parente seu causis locis in ipso generationis actu, ex fœcunditate primæva generi humano per divinam benedictionem collata, in & cum semine traducitur: Sicut hoc jamdudum demonstrarunt egregiè Thummus, Sperling. noster, Danhauerus, alijque Viri celeberrimi, quibus & nos non immerito subscripsimus in disputatione nostra de Origine animæ humanæ, creationis propugnatoribus opposita pro Traduce theor. 3. §. 28. Insignem quoque usum habet Canon in controversia illa Theologia, ubi quæritur, an infantes baptizati verè credant, sive veram actualem & salvificam fidem habeant? Cujus affirmativam ex hoc Canone sequenti syllogismo probamus: Posito effectu ponitur causa. Atqui infantes habent effecta veræ & salvificæ fidei. Ego habent fidem veram & salvificam. Major sua luce radiat. Minorè verbis Magnif. Dn. D. Calovij Præceptoris & Promotoris nostri ætatem colendi probamus, quæ extant in Matæol. Papist. sect. 3. contro. 4. p. *iiij.* *Infantibus inquit, competunt effecta fidei quæ necessario fidem præsupponunt,*  
*nec*

nec absq<sup>3</sup> fide ulli conveniunt. Infantes enim salvantur cum ipso-  
rum sit regnum cælorum Matth. 19. 14. Marc. 10. 14. Luc. 18. 16.  
τὰ βεβήθη sunt infantes adhuc lactantes usu rationis destituti,  
qui nondum incedere nec loqui possunt, ut fatetur Jansenius in  
Concord. Evang. c. 110. At sine fide nemo salvatur. Job. 3. Marc.  
16. &c. Infantes fœderis gratiæ participes redduntur & be-  
nedictionis in Christo. Gen. 17. 7. & 12. 3. Act. 3. 25. At qui fide de-  
stituuntur, nec in fœdere gratiæ sunt, nec benedictionis divinæ par-  
ticipes fiunt. Hebr. 11. 6. Peccant ergo in hunc Canonem Ana-  
baptistæ, Photiniani, Pontificij & alij.

IV. *Negata causa negatur effectus, & vice versa.*

CONFIRMATIO. Hæc ex præcedenti fluit Canone.  
Quod si enim posita causa ponitur effectus, necessum est ut  
eadem negata & hic negetur. Atqui prius est verum ut  
jam probavimus. Ergo & posterius negari non potest. Major  
fundatur in illo trito; Oppositorum est opposita consequentia.  
Quod autem vera inter hanc & præcedentem Regulam detur  
oppositio, & ideo etiam opposita consequentia patet I. *Ex*  
*convenientiæ negatione.* Termini utriusque infinitam habent  
distantiam, non quidem positivam, qualis inter rem & rem,  
sed negativam, ut in nullo habeant convenientiam. II. *Ex me-*  
*diij negatione.* Nullum plane medium habent, sed immediatè  
sibi opponuntur; unde etiam necessariò alterutrum saltem  
prædicatum subjecto competit. III. *Ex membrorum præceden-*  
*tem Canonem probantium applicatione.* Poni causam in esse causæ  
est eam causare; & negari causam in esse causæ, est eam non  
causare. At quando non causat aliquid, non causatur aliquid  
& vice versa, Sic poni effectum est eum causari l. fieri; & negari  
effectum in esse effectus, est eum non causari l. fieri. At ubi non  
causatur l. fit effectus, ibi nulla habetur causa. Et sic in reliquis.

EXPLICATIO. In genere notamus, quod trito sermo-  
ne ita efferatur Canon: Sublata causa tollitur effectus. Nos  
tamen cum accuratioribus Philosophis maluimus dicere: Ne-  
gata causa negatur effectus, quia hoc modo continet verbum  
oppositū verbo præcedētis Regulæ, quod est poni. Poni enim est  
existere e. At ex tere non tantum τὸ tolli vel non existere

D

cum

cum extiterit, sed τὸ non existere in communi, sive extiterit sive non, opponitur. Quamvis ergo priori Modo, veritatem non denegemus, aut usum ejus improbemus, tamen eundem angustiore esse hoc nostro, penitus sumus persuasi. Valet autem (1) *de causis externis & internis*. De illis hoc modo: Negatis materia & forma, & earum unione, negatur causatum, & viceversa. V.g. Si non datur anima & corpus, vel si non amplius sunt in unione, negatur homo & contra. De externis saltem in duratione & continua τὸ esse à causa dependentia. Sic si Deus destrueret solem, periret lux ejus, quia à sole continuè dependet. (2) *de adequata non inadeguata*. Non ergo sequitur: gladio non perijt ergo non est mortuus, potest enim interitus esse ab alijs causis. (3) *de effectu in fieri seu producendo, non vero producto quoad suam ὑπαρξιν*. Unde mortuo patre, l. architecto, non una perit filius & domus. Hinc disting. est inter ἐνέργειαν seu operationem, & inter ἐνέργημα seu opus. De illo valet Regula.

APPLICATIO. Impingunt ergo graviter in hunc Canonem Pontificij, quando docent: in Baptismo penitus tolli peccatum originale, ita ut non amplius sit in homine, & tamen varia peccata, etiam post baptismum in homine ebullire, negare non possunt. Si enim causa peccati in renatis negaretur, utique & ipse effectus in iisdem non deprehenderetur amplius. At poterius falsum esse docet experientia, cum varia peccata actualia, tanquam effectus peccati originis, quotidie committant homines. E & prius verum esse nequit. Idem cum cæteris jam jam citatis adversarijs abutuntur hoc Canone in sequenti argumento: Negata causa negatur effectus. Atqui in infantibus negatur causa fidei, nempe auditus verbi Rom. 10. 17. Ergo in infantibus negatur effectus, ipsa scil. fides. Verum distinguimus inter causam adæquatam & inadæquatam, dicimusque Canonem non de priori sed de posteriori valere, & ideò Minorem hujus argumenti falsam esse. Fides enim ordinariè quidem per verbum datur, sed non per verbum audibile tantum, sed etiam visibile, quale Baptismus & Coena Dominica. Quare hæc non sunt opponenda, cum u-

trum-

trumque sit medium & organum per quod regeneramur ac fide donamur. Et licet hæc fidei operatio nobis incognita sit, tamen propterea non statim extraordinaria & miraculosa vocari debet (quod male Adversarij nobis ogganniunt) cum ordinario regenerationis lavacro perficiatur.

*V. Causa causæ est etiam causa causati.*

CONFIRMATIO. Liquet Canonis veritas *I. Ex causarum subordinatione.* Causæ sibi invicem ita subordinantur, ut altera alterius, subsequenti nempe, dirigat influxum. Cum ergo causa causæ, vi hujus subordinationis in effectum influat, quid impedit quo minus hujus effectus dicantur causa. Non enim causa proxima solum vera causa est, sed & remota, quia non immediatè quidem, attamen aliarum causarum interventu producit effectum. *II. Ex causæ inferioris conditione.* Hæc nihil potest præstare absque Causa præcedenti & superiori, sed ab eadem in causando unicè dependet. Hinc describitur: quod superiori subordinetur, & in causando ab ea dependeat, ut omnis creatura à Deo. Quod si ergo causa superior, inferioris causæ causa, necessariò ad causati constitutionem requiritur, cur causati causam non nominemus eandem? *III. Ex Analogia & similitudine.* Sicut genus in Logicis omnium specierum subjectarum genus est: eodem modo causa superior inferiorum vocatur causa.

EXPLICATIO. Ut autem obscuritatem, qua premi videtur Canon removeamus, genuinū ejus sensum alijs verbis *Ἐπεὶ ὁ θεὸς κτλ.*, ita exprimimus: Cum causa producit effectum, & illè effectus iterum producit alium effectum, tum prior causa est etiam causa posterioris effectus. Procedit (1) *in causis per se & essentialiter subordinatis*, ad quas requiritur, juxta Scotum, dependentia tum in agendo, cujus defectu pater non est causa actionum sui filij, quia hic eidem in agendo non subordinatur: tum à causa ordinis diversi, cujus defectu pater & mater in generatione non sunt causæ essentialiter subordinatæ, quia sexu saltem differunt, & in isto negotio stant pro una causa: tum non mutua, hoc est, ut inferior agere nequeat absque concursu superioris, quamvis superior sine inferiori causare possit. Non ergo sequitur: pater est causa filij, & filius est causa proditionis

patriæ, Ergo & pater est proditor. Præceptor est causa eruditionis in discipulo, hæc fit nonnunquam causa hæreseos, Ergo & præceptor est hæreticus. Hinc (2) *in effectibus non vero in defectibus causato adherentibus* procedit. Sic in datis exemplis, quia præter accidentalem causarum connexionem, merus defectus loco causati ponitur, recte dicitur, quod Canon in illis non valeat. Defectus enim efficientem propriè sic dictam non agnoscit. Eadem ratione argumentari non possum: Sol est causa generati hominis, homo est causa adulterij & homicidij, Ergo sol ipsa causa est horum scelerum. (3) *in causis etiam moralibus*. Ita si quis jubendo, suadendo, agens ad patiens applicando causa est, cur aliud est causa, tunc causa causæ est etiam causa causati. v.g. Si filius ex instinctu patris patriam prodit, pater est etiam proditor patriæ, quia fuit causæ causæ, h. e. fuit causa cur filius prodicionis crimine se alligarit. Sic quando carnifex jussu Magistratus furem suspendit aut decollat, Magistratus est causa supplicij.

APPLICATIO. Quare ineptus esset, qui in Politicis ex hoc Axiomate argumentaretur: Mali mores sunt causa legum, hæ sunt fundamentum Reip. Ergo & mali mores. Nam leges sunt istius fundamenti causa per se, mali mores verò per accidens. Abutuntur hoc Canone Zwingli9, Beza, Zanchius, Danæus & alij, quando Deum peccati causam esse, sequenti ratiocinio demonstrare laborant: Deus est causa voluntatis, hæc est causa peccati. Ergo Deus verè est causa peccati. Respondendum enim ad probationem: distinguendo inter causas necessariò & liberè agètes. Illæ Deo subordinantur essèntialiter & necessariò, hæc accidentaliter & cōtingèter. Volūtas ergo hominis quæ voluntas, & se libere ad malū inclinatur, non est causa peccati per se sed per accidens, quò respectu Deo minime subordinata est. Præterea disting. inter effectum & defectum. Homo peccans in quantum peccat non efficit sed deficit. At defectus causam efficientem propriè loquendo non agnoscit. Hinc August. lib. 12. de Civ. Dei. c. 7. Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis, non enim est efficiens sed deficiens, quia nec illa effectio est sed defectio. Huc pertinet Regula Thomæ quam proponit prima

ma secundæ. q. 79. art. 1. Effectum, quod subditur ordini primæ causæ, reducitur etiam in primam causam. Sed si procedit à causa media secundum quod exit ordinem primæ causæ, non reducitur in primam causam. Agnoscit hoc Keckermannus, qui suis corivalibus ad hoc sophisma dilucidè satis respondit. l. 1. Syst. Log. c. 15. uti videre est apud B. Meisner. Phil. Sobr. sect. 4. c. 3. q. 1.

*VI. Qualis causa talis effectus, & vice versa.*

**CONFIRMATIO.** Pugnat pro Canone *I. Utriusq; essentialia.* Causa enim ejusdem essentialitatis est cum effectu; hinc quæ attributa de causa prædicantur, illa etiam necessario & essentialiter de effectu dici debent. Sic patris attributa essentialia sunt rationalitas & capacitas disciplinarum, quæ filio denegari nequeunt, quia patris effectus est, & essentialiter specie eandem cum ipso habet. *II. Effecti dependentia.* Effectum & quicquid est in eo à causa dependet; nihil ergo in hoc reperietur, quod in causa non extiterit juxta illud: Quod quis non habet id alteri communicare nequit. *III. Autoritas divina.* Ipse Spir. S. ex hoc Canone argumetur Matth. 7. 16. 17. 18. Ubi Christus docet discipulos suos, quomodo ex effectis Pseudoprophetas cognoscere possint. A fructibus eorum, inquit, agnoscetis ipsos. Numquid colligunt de spinis uvam aut detribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. Putris autem arbor facit malos: non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor putris fructus bonos facere. Conf. c. Matth. 12. Ezech. 11. Deut. 19. Rom. 1. Eph. 2. Col. 2. 1. Cor. 2.

**EXPLICATIO.** Valet (1) *non de causa equivoca*, quæ ab effectu essentialiter differt, sed *univoca*, quæ cum effectu specificam habet essentialitatem. Non Ergo sequitur: aurifaber est causa rationalis & annulum conficit aureum, Ergo annulus est rationalis: calceus est irrationalis, Ergo & sutor (2) *non de quavis qualitate, sed duntaxat de bonitate & malitia cause & effectus.* Quando igitur causa l. naturaliter l. moraliter l. artificialiter est bona aut mala, bonum aut malum effectum producet. Causa enim bona, quæ talis, nunquam causatur per se effectum malum, neque causa mala effectum bonum. Quod valet vice versa. Recte ergo dico: Deus est causa mundi, & est bonus, Ergo mundus est bonus; Minus rectè: Deus est causa Diaboli, hic malus est, Ergo talis Deus etiam est. Notandum tamè quod species boni-

tatis nō sint confundēda. Unde N. V. sutor est bonus moraliter, Ergo & calceus, quia calceus non conficitur à sutore; quāt. is bonis moribus præditus est, sed quāt. artifex seu bonus sutor est. Alij docent Canonem valere de attributis non accidentalibus, notionalibus & personalibus; sed essentialibus tam constitutivisquam consecutionis. Quæ limitatio nostram declarat, & tot Canonem non exiguam lucem adfert. (3) *pro capacitate subje-*  
*cti.* N. V. Spiritus S. actio in renatis est perfecta, Ergo etiam B. O. in illis sunt perfectè bona.

APPLICATIO. Non ergo ad quæstionem illam: Cur illorum, qui læsæ Majestatis crimen commiserunt, liberi, puniantur? accurata & apodictica responsio ex hoc Axiomate peti potest. Nam quamvis hoc ut plurimum soleat evenire, ut quales sunt parentes, tales etiam sint liberi; nihilominus tamen hoc non est necessarium & universale, cum Regula nostra non semper & necessariò in accidentalibus, semper vero & necessariò in essentialibus procedat. Ex hoc Canone illi, quibus ultimò intendebamus Elenchum refelli possunt. Argumentamur enim: Si Deus est causa peccati, necessum est ut ipse sit malus. At consequens est impium & blasphemum, Ergo & antecedens tale erit. Major clara est. Ut enim succus refert adorem testæ, sic effectus refert naturam suæ causæ; & ut Canon loquitur; qualis est effectus talis est causa. Minorem negare non ausim, quia Deus, qui à nullo est, à quo cætera omnia, abique mensura est optimus. Scalig. Exerc. 365. sect. 5. Est summum bonum Exerc. 249. sect. 8. Ipsa bonitas Exerc. 360. sect. 6. Optimum vult, Lib. 1. de plantis. p. 142. Stabit ergo conclusio, quæ non Scripturæ modo, sed & rectæ rationi repugnat.

VII. *Causa nobilior est effectū, & contra effectus causa nobilior esse nequit.*

CONFIRMATIO. Probamus hoc I. *Ex præcedenti Canone.* Cum enim talis sit causa, qualis effectus est, sequitur ad minimū easdē perfectiones in causa & effectū esse. II. *Ex alia prægnati ratione.* Effectus à causa depēdet, quia causa ei esse confert, quod enim esse cōfert, qua tale, nō pēdet ab eo cui esse impertitur. Principia enim nō accipiūt sed dāt alijs, ut dicit Scalig. Exerc. 12. sect. 2. Atqui omnis causa suaquæq; ratione principiū est; Ergo non pēdet ab alio, ergo etiam divinior est effectū. Quod ipsū per se-



quentē syllogismū disjunctivū uberius declaramus: Effectus id, quo causā antecelleret, l. haberet à seipso, vel a causa. Non à seipso: nihil enim præter Deum à se esse habet Non à causa: nemo enim tribuit id quod non habet, & quicquid effectui à causa confertur, præexistit in causa, modo l. excellentiori l. æq; perfecto. III. Ex communi locutione; Præstantius est dare quā accipere ajunt trito sermo. Hinc August. l. 83. qq. q. 2. inquit: Omne quo fit, ei à quo fit, par esse non potest.

EXPLICATIO. Notandum tamen (1) per causam complexam omnes omniū generū causas simul sumtas intelligi, & hinc comparationē non debere institui, inter effectum totum & simpliciter sumptum, ac inter singulas causas seorsim, si quidem hoc sensu effectus qualibet causa nobilior est, cum perfectionem non saltem singularium sed omnium causarū contineat. Sic materia ignobilior est composito, quia hoc cum materia simul formam complectitur. Idem etiā de forma dicendū est. (2) Causam sumi inesse causæ, id est, in influendo, & effectū in esse effectus i. e. in fieri. Hoc sensu DD. Conimb. l. 2. Phys. c. 7. q. 5. categoricè dicunt: omnē causā effectui suo præstantiorem esse. (3) ad causā finalē Canonē extendi posse, si sumatur finis adæquatus & proprius, non autē quacunq; ratione intentus. Quamvis ergo nonnulli lucri causa philosophentur, & hoc modo finē ipso studio ignobiliorem respiciant; nihilominus tamē ad verū scopū non collimant, sed à genuino fine ad improprium & liberali homine indignū tendunt, cū ipsa Musarū cultura artiumque cognitio, aureis nummis multis partibus sit anteponenda.

APPLICATIO. Hujus Regulæ frequens usus, circa Controversiarum Physicarum decisionem potissimū se exerit. Errant enim & contra hanc thesin impliciter disputant, qui animā rationalem à vi plastica originem trahere contendunt. Nam δύναμις πλαστική accidens est, & ideo animā multo ignobilior, quod de causa in respectu ad effectū dici nequit. Hinc B. Meisn. Phil. Sob. part. 1. sect. 3. c. 6. q. 1. p. 486. Magnū, inquit, hinc sequitur incommodū. Accidens videlicet potentia πλαστική, quæ est in secūda specie qualitatis, produceret tā nobilē & excellentē substantiā, quod absurdissimū. Errant quoq; illi, qui solē causā faciunt ranarū, murium, vermium, & nescio quorū non animalium, neq; præterea propiorem nominant. Nā animatū quovis præstat inanimato. Similiter & isti, qui de substantiæ cujusdam origine & causa interrogati, protinus ad calorem

confugiūt, & eundē hoc nomine laudāt. Calor enim est accidens quod substantiam producere nequit, cum ne mille accidentia pro una sufficiant substantia.

*IIX. In causis non datur progressus in infinitum.*

**CONFIRMATIO.** Probamus hoc *I. Ex causarum subordinatione.* In causis datur subordinatio, cū sub uno ordine altera alterā insequatur. Ubi ergo subordinatio ibi ordo: ubi ordo, ibi exulat infinitū. *II. ex causarum inductione.* Neq; in efficientibus, neq; in materialibus, neq; in formalibus aut finalibus subordinatis, progressus in infinitum deprehenditur, quod probari posset nisi pagellarum obstaret angustia. *III. Ex absurdorū consecutione.* Sequeretur nullā rē accurate & perfecte cognosci posse, quia cognitio rerū ex cognitione omniū causarum subordinatarū proficiscitur. Sequeretur & hoc quod ab inferioribus causis ad superiores ascendendo, omnes indiscriminatim ab alia dependerent in suo esse & operari: quodq; descendendo ad inferiores nunquā ad effectū perveniretur, cū in finitum percurri non possit. Et quæ sunt alia.

**EXPLICATIO** Procedit *(1) in causis non accidentaliter sed per se & essentialiter subordinatis.* Quæ sint istæ causæ ex Canone nō obscure cognoscet lector. *(2) de progressu non ratione mentis sed rat. causæ* extra mentem actu existentis. Intellectū sæpe multas causas fingere & comprehendere quis negabit? *III. de progressu in infinitū non ratione causationis sed ratione terminationis.* Concedimus dari causam infinitam ratione causationis, quia Deus in operando & causando infinitus est, sed ratione terminationis non datur causa infinita, cum hoc pacto omnis causarum tum subordinatio tum essentialis & actualis directio tolleretur.


**APPLICATIO.** Abutuntur hoc Canone Peripatetici, qui ut in causa corporum naturalium omnem progressum in infinitū evitent suā Materiā Primā excogitarunt. At materia illa Prima non nisi in quorūdā hominū cerebellis deprehenditur, quod facile spectāt quicumq; à præconceptis opinionibus liberi sunt. Peccant quoq; in Regulā omnes illi, qui in Physicis puncta, lineas, plana & solida ex partib; in infinitū divisibilib; constare docent. Nā partes illæ non actu sed potestate, nō realiter sed materialiter tales dicuntur. Quæ adversariorū somnia B. nost. atq; Celeberrim; Sperling. Inst. Physic. l. 1. c. 2. & lib. 2. c. 2. solide refutavit. *Tantum de causis in genere.*

*Causæ præstantissimæ Deo sūt gloria sine fine.*

05 A 729

ULB Halle  
003 767 132


3



6003







15

Ὁ καλῶς ἔρω!

ÆTIOLOGIAS  
METAPHYSICÆ  
DISPUTATIO II.  
Exhibens Sectionem II, ΚΑΝΟΝΙΚΗΝ

De

C A U S I S  
IN GENERE,  
Quam

CAUSA SINE CAUSA DEO  
Opt. Max. annuente  
IN FLORENTISSIMA LEUCOREA  
SUB PRÆSIDIO  
M. CHRISTOPHORI LATZKII,  
Brandenburgō Marchici,  
*Publicæ Philosophantium limæ submittit*  
ANDREAS LENTZ,  
Ezinō Brandenburg. Marchicus.  
Ad diem 20. Februarij ANNI cLo Io c LXI.  
Horis matutinis, Loco solito.

WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS BORCKARDI.

14.